Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26044
Copyright: Admont, Benediktinerstift

39

in vincula posuerat accersitaque sorore sua Salome atque eius viro Alexandro: No-
vi, inquit, Iudeos de morte mea gavisuros, sed potero habere lugentes et exequias ho-
norabiles ex plangentium multitudine, si volueritis vos meis parere precep-
tis. Statim quando ut exalavero spiritum, omnes quos in custodia habetis interficite, ut
omnis Iudea et omnis domus defleat obitum meum. Et non multo post, cum vite exitum
adesse sentiret, ad incidendum malum cultellum poposcit. Quo accepto in se
ipsum ictum vibravit. Sequitur etiam idem Iosephus quod ante quam moreretur per duos quos ante
necaverat tercium quoque filium interfecit, et ita maximis doloribus corporis, quia flagicio-
sissimus, piaculis parricidii infelicissime vitam finivit. Quod illi procul dubio
ob sacrilegium in Christum eiusque coevos crudele commissum piaculum evenisse creditur.

Mortuo Herode Archelaus filius eius successit in regnum. VIII

Anno ab incarnatione Domini VI maxima fames in urbe Roma fuit, que in tantum in-
valuisse dicitur, ut lanistarum familias et peregrinos servos quoque absque medicis et pre-
ceptoribus Augustus ab urbe expelli preceperit. Ea tempestate Augusto iam sene iam
porte que ex longo ocio rubiginem contraxerant per Atheniensium et Dacorum
seditionem aperiuntur, nec ante Vespasianum clause fuere. Nulla tamen quamvis in
perpetuum multos esse per longa tempora bella sonuerunt. Quod profecto ob novi regis
novum ortum evenisse credendum est, ut tante seditiones sine bellorum cladibus
terminarentur. Huc usque Cornelius Tacitus. VIIII.

Anno ab incarnatione Domini XV Augustus in LVI imperii sui anno vivendi finem
fecit, eique Tyberius privignus eius in regnum successit. Hic modestissime rem publicam gubernans
nec civis ultus iniuriam nec foris bellorum tempestates movit. Quarto
vero imperii eius anno, id est ab incarnatione Domini XVIII, Germanicus Drusi filius Gai Cali-
gule pater de Germanis triumphavit. Instantibus autem tempus humanissime fuisse Ty-
berius fertur, ut dum augenda tributa presides suaderent, respondit boni
pastoris esse pecus tondere, non glutire. His diebus sceleratus quidam Mundus
nomine callidissime matronam quandam castam Paulinam decepit. Cum enim sepe
eam de adulterio attemptaret nec proficeret, sacerdotes templi precio conduxit, ut
quempiam deorum cum illa commisceri velle denunciarent. Refert marito mu-
lier; maritus laudat. Sicque in templum nocte veniens mulier deum illum pre-
stolabatur. Veniens quoque Mundus voto potitur sub nomine dei. Post hec impro-
perat ei quod fecerat. Illa rursum marito refert. Quod scelus dum cesar a marito